



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De fanis Idolorum in Phoenicia ab eo deiectis. Capvt XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

De fanis Idolorum in Phœnicia ab eo deiectis.

CAPVT XXIX.

Porro cū certior factus esset, Phœniciā etiam nū ad nefaria dæmonum mysteria celebranda cæco furore ferri, monachos diuino pietatis studio inflammatos, in vnū cogit. Eosque cum edictis imperatoriis ad simulachrorū fana demolienda mittit. Opificibus autem & eorum ministris, qui ista deturbarent, mercedē non ex imperatoris prōpsit ærario, sed fœminas cum diuitijs circumfluentes, tū fide præclarè instructas induxit, uti sumptus in eam rem (docuit nāq; quanta laus ex tali largitione colligi soleat) affatim & liberaliter suppeditarent. Itaque reliqua dæmonū delubra hoc pacto solo æquanda curauit.

De Gotthorum ecclesia. CAP. XXX.

Cvm videret præterea gentem Scyticam doctrinæ Arianae laqueis irretitam teneri, molitus est sedulo inde eam eripere: ad quam predam capiendam hanc viā excogitauit. Complures, qui eadem lingua loquebantur, presbyteros, diaconos, & lectores ordinauit, illisque vnā tribuit ecclesiam: quorum opera multos errore lapsos, ecclesie reconciliauit. Nam ille ipse plerunque ad eam ecclesiam profectus, cum illis locutus est, interprete vtriusque linguæ perito vsus: aliosque dicendi facultate instructos, ad idem ipsum faciendum induxit. Ista quidem in vrbe illa præstitit, cōpluresque errore imbutos, veritate doctrinæ apostolicæ explanata, ad viam salutis reduxit.

De prouidentia quam pro Schythis habuerat, & quo pacto Marcionistas infectatus fuerat.

CAPVT XXXI.

Itemque cum accepisset Schythas, qui Nomadæ vocantur, quique propter Istrum accolabant, sitienter quidem salutem appetere, sed habere neminem, qui sitim suam salutaris doctrinæ fluentis restingeret, viros laborū

℞ 4 apostolico-